

SESSION 1998

**AGRÉGATION**  
**CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

**LE SAGE STOICIEN**

Nuper, cum incidisset mentio M. Catonis, indigne ferebas<sup>1</sup>, sicut es iniquitatis impatiens, quod Catonem aetas sua parum intellexisset, quod supra Pompeios et Caeseres surgentem infra Vatinius posuisset, et tibi indignum uidebatur quod illi dissuasuro legem toga in foro esset erepta quodque, a Rostris usque ad Arcum fabianum per seditiosae factionis manus traditus, uoces improbas et sputa et omnes alias insanae multitudinis contumelias pertulisset. Tum ego respondi habere te quod rei publicae nomine mouereris, quam hinc P. Claudius, hinc Vatinius ac pessimus quisque uenundabat et, caeca cupiditate correpti, non intellegabant se, dum uendunt, et uenire ; pro ipso quidem Catone securum te esse iussi : nullum enim sapientem nec iniuriam accipere nec contumeliam posse, Catonem autem certius exemplar sapientis uiri nobis deos immortales dedisse quam Ulixen et Herculem prioribus saeculis. Hos enim Stoici nostri sapientes pronuntiauerunt, inuictos laboribus et contemptores uoluptatis et uictores omnium terrorum. Cato non cum feris manus contulit, quas consecrari uenatoris agrestisque est, nec monstra igne ac ferro persecutus est, nec in ea tempore incidit quibus credi posset caelum umeris unius inniti, excussa iam antiqua credulitate et saeculo ad summam perducto sollertiam. Cum ambitu congressus, multiformi malo, et cum potentiae immensa cupiditate, quam totus orbis in tres diuisus satiare non poterat, aduersus uitia ciuitatis degenerantis et pessum sua mole sidentis stetit solus, et cadentem rem publicam, quantum modo una retrahi manu poterat, tenuit, donec abstractus comitem se diu sustentatae ruinae dedit simulque extincta sunt quae nefas erat diuidi : neque enim Cato post libertatem uixit, nec libertas post Catonem. Huic tu putas iniuriam fieri potuisse a populo, quod aut praeturam illi detraxit aut togam, quod sacrum illud caput purgamentis oris aspexit ? Tutus est sapiens, nec ulla affici aut iniuria aut contumelia potest.

Videor mihi intueri animum tuum incensum et efferuescentem. Paras acclamare : « Haec sunt quae auctoritatem praeceptis uestris detrahant : magna promittitis et quae ne optari quidem, nedum credi possint ; deinde, ingentia locuti, cum pauperem negastis esse sapientem, non negastis solere illi et seruum et tectum et cibum deesse ; cum sapientem negastis insanire, non negastis et alienari et parum sana uerba emittere et quicquid uis morbi cogit audere ; cum sapientem negastis seruum esse, idem non itis infitias et uenituum et imperata facturum et domino suo seruilia praestaturum ministeria...

(1) Sénèque s'adresse à Sérénus. y

SENEQUE, *De constantia sapientis*, II, 1 — III, 1